lectores spectatissimi confestim in limine, quid sibi velimus, an in sententiam nostram abire possint, vel secus; b) facile ~~ea~~ praesagient, cui illorum systematum magis minusve faveamus; c) principia jam ab initio introducta majorem utique in se convertent attentionem, severiusque in tentamen vocabuntur, quod ob veritatis amorem exoptamus ac exoptare debemus; d) eadem principia nostra lectori, si quidem probare possit, utique pro ~~trutina~~ inservirent, quo valori systematum examinando par efficeretur, adeo, ut sperare liceret, eundem via ingratum accepturum, quae lubenti obtulimus animo. — Inter tot invicem repugnantia philosophorum ~~placita~~, quae exhibebimus, systemata, unicum ut plurimum verum esse potest, aut quod verisimilius, unumquodque proprias essentiales naevos habebit. — Quamvis superbiam et arrogantiam saperet, existimare velle, nos semper accurateque verum a falso distinxisse: in principiis tamen, quae proponemus, nos non errare, magna ~~cum~~ fiducia contendimus. Quodsi vero haec pauca principia ~~non~~ repudianda non sint, quantum perinde jam luminis ~~supra~~ systemati~~bus ipsis~~ illis offundi queat, lectores ipsi viderint!

† lapide lydio